



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. Quid sit Prædicamentum, & quotuplex?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

per accidens; siquidem neque essentialem neque primarium per se ordinem vel materiam, vel formam haberent.


39 Deinde, quia forma ex natura sua respicit materiam, & materia ex natura sua respicit formam, & unaquæque est entitas incompleta, petens coniungi cum altera: sed quando naturaliter petitur aliquis finis ab aliquibus non potest talis esse supernaturalis in sua entitate, ideo enim visio beatifica, & unio hypostatica non possunt peti ex natura sua ab aliqua creatura, quia in sua entitate sunt supernaturales, & ratio est, quia id quod est supra omnia intrinseca principia, nullo modo potest esse debitum illi respectu cuius est supra omnia principia, sed id quod petitur est debitum, & ideo intellectus est debitum naturaliter animæ, & substantia naturæ, & forma materiæ quia petitur ex natura rei ab illis: ergo supernaturale non potest peti à natura, quia deberetur id quod est supra omnia principia intrinseca: sed forma cum qua componit unum ens per se materia respicitur à materia ex natura sua, & essentialiter, & potest essentialiter recipere, quia respicit ut recipiat: ergo non potest esse supernaturalis, quia supernaturale non potest recipi naturaliter ab aliquo.

40 Tunc sic, sed una pars per se, ut est natura, aut forma petit naturaliter alteram: ergo illa non est supernaturalis illis, nec coniunctio illorum inter se.



DISPUTATIO VIII.

De Antepredicamentis.



QVÆSTIO I.

Quid sit Predicamentum, & quotuplex?

SECTIO I.

Proœmium, & sententiæ Adversariorum.

1 **P**REDICAMENTUM latinè-græce vocatur *categoria*, teste Isidoro lib. 2. originum. Divo Augustino lib. de decem categoriis, sive categoriæ, à verbo græco *catēgorō*, quod idem sonat ac verbum latinum *prædico*, sive *enuntio*. Hebræe דִּבֶּר *dibber*, unde idem est *categoria* ac *enuntiatio*, sive *prædictio*, quod in sacra lingua dicitur à verbo קָרָא *Karâ*.

2 Vocabulum *categoria* Porphyrius, & Descripsus traductum credere ab Aristotele à forensi usu ad gymnasium, *categoria* enim publicam accusationem significat, quæ criminando in iudiciis versatur, nam *κατηγοροῦ*, *accuso* significat, nec est inusitatum magnis Philosophis, inquit Porphyrius, ut cum aliquid ignotum patefaciant; aut vocabula innovent, aut vilitata transferant, & nova significatione afficiant iuxta illud Ciceronis 1. de natura deorum, nova sunt rebus novis ponenda nomina, quod his verbis dilucide aperuit, sibi que concedendum pronuntiavit lib. 1. academiarum questionum, ipse eloquentiæ Patens, aut enim

nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda, quod si græci faciunt qui in his rebus tot iam sæcula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur. Divo Augustinus lib. 10. categoriarum, sic ait, appellatas vero categorias constitat propterea quod non possunt nisi ex subiectis agnoscere, nisi aliquem sibi hominem ponat ante oculos, quasi subiectum homini, itaque ex subiectis, & prædicatis conficiuntur categoriæ secundum dispositionem, & ordinem.

Ammonius apud Fonseca bene advertit in his, quæ ad Ilagogen Porphyrij præfatur τὰς κατηγορίας, recte dictas paulum immutato verbo, quasi *αγορεύου τὸν λόγον*, id est de quibus attributiones, & enuntiationes, quo pacto verbum proprie non figurate vsurpabitur, quia autem, ut asserunt Cornimbricenses, res in his decem classibus ideo disponuntur, ut superiora de inferioribus iuxta naturæ ordinem enuntientur, & affirmantur, merito ipsæ classes græce *categoria* nomine insigniuntur, quæ latine ut diximus *predicamenta* appellantur, cuius vocabuli inventor fuisse videtur Boëtius.

Sumitur *predicamentum* aliquando pro tota serie ex superioribus, & inferioribus constituta; aliquando pro supremo tantum genere cuiuscumque ordinis, seu *predicamenti* ut asserit Divo Thomas opusc. 49. de *predicamentis*, dum ait, ens autem reale dividitur in decem prædimenta, quæ sunt decem genera suprema rerum.

Fonseca vero erudite satis advertit, quod quia familiaris est non philosophis modo, sed vulgo etiam ut verba quæ actionem significant sæpe numero sumantur pro iis, quæ modo aliquo sub actionem cadunt, quo pacto homines congregatos in unumque convenientes, congregationem conventumque, res, ex quibus fit mixtio mixtionem, & id quod concipimus conceptionem, conceptumque appellamus: Hinc effectum est ut nomen τὰς κατηγορίας αὐτὴ τὴν κατηγοροῦμεν, id est, pro eo quod prædicatur, & enuntiatur, de aliquo accipi consueverit, hæc ratione vocat Augustinus in lib. categoriarum, animal categoriam substantiæ, & disciplinam categoriam qualitatis.

Damasceus autem in lib. de dialectica, categorias inde nuncupatas affirmat quod de aliquo dicantur, & Cicero idem confirmat lib. 4. Tusculanarum questionum, definiens esse id quod de aliquo aut aliquibus dicitur; apud nos autem *predicamenti* nomen non pro ipsa prædicatione, sed pro rebus ipsis sumitur, quæ prædicantur cum ordine, & dispositione superiorum, & inferiorum sub aliquo supremo genere usque ad individua, ut ait Porphyrius in Ilagoge his verbis, in singulis prædicamentis esse singula summa genera, esse item quædam subalterna, quæ & genera sunt, ac species; deinde alia quæ sunt species; non item genera sub quibus sola individua collocantur. Imo etiam Aristoteles in ipsa prædicamentorum inscriptione, nam cum singula seorsim prædicamenta exposuisset, ita concludit, atque hæc de propositis generibus sint satis, ubi hæc obscure innuit se in hac significatione prædicamentorum inscriptionem intellexisse; sumit enim genus pro tota collectione ex genere, & ex his quæ ab eo quasi oriuntur, ut sunt species, &c. quod posse fieri his verbis confirmat Divo Augustinus lib. de

cem categoriarum, de hinc superiora, id est, animalia, & virgulta, gemmas, & lapides genera nuncupavit; ex quibus partes, vel forma nascuntur, species etiam genera nominare possumus, quod habent excelsius aliquid, id est, viam, ex qua oriri videntur, & nasci, ipsam vero viam supra quæ nihil est, genus appellari voluerunt cum omnibus sibi subiectis ordinatione; quo pacto familiæ ex aliquo progenitore, aut auctore originem ducentes appellantur genera, vt supra diximus agentes de genere.

7 Dupliciter sumitur prædicamentum primo intentionaliter, & secundo intentionaliter; primo modo sumitur pro naturis rebus, quæ prædicata essentialia sunt, v.g. in prædicamento substantiæ, substantia, corpus, vivens, animal, homo: ex quibus constat totum prædicamentum.

8 Secundo intentionaliter sumitur pro illa ordinatione rationis, quam prædicata essentialia vt genera, & species à parte rei formaliter non habent, sed ab intellectu accipiunt sumpto fundamento aliquo à rebus illis considerando vnum tanquam superius, tanquam inferius alterum cum à parte rei nullus ordo detur superioris, & inferioris in ipsis prædicatis essentialibus quod sic probatur.

9 Quia omnis ordo superioris, & inferioris realis arguit distinctionem realem inter extrema in quibus datur talis ordo: sed inter prædicata essentialia, vt supra manet demonstratum contra Scotistas, nulla datur distinctio realis: ergo nullus datur ordo superioris, & inferioris inter illa à parte rei.

SVBSECTIO I.

Multifariam definitur ab Auctoribus Prædicamentum.

10 Fonsæca hoc modo definiendum docet: prædicamentum est generis alicuius, & eorum quæ sub ipso sunt naturalis dispositio. Rationem huius definitionis sic reddit ipse, nam neque omnia de quibus disputari potest, sed sola genera, species, & individua, alijs etiam quibusdam adiectis conditionibus indicantur Philosophi per se disponenda esse prædicamenta, nec dispositio eorum, quæ in prædicamentis ponuntur est excogitata: sed in rebus iniuncta. Nam & distinctio superiorum, & inferiorum inter se non est distinctio rationis, sed ex natura rei; & ideo ordo qui hanc distinctionem supponit, non est arbitriarius, sed naturalis, si enim à superioribus ad inferiora proficiscaris generationis ordinem tenebis, si ab inferioribus ad superiora perfectionis, quorum ille in eadem re à partibus ad totum, hic à toto ad partes progredi solet, sic Fonsæca.

11 Pater vero Hurtado in metaphysica sic definit: prædicamenta sunt divisiones entis, in quibus prædicata cuiuscumque rei collocantur. Quod sunt divisiones entis pater, quia ens partitur in substantiam, quæ primum prædicamentum constituit, & in accidens quod per novem posteriora distribuitur, ea esse prædicatorum seriem per singula patet, in prædicamento enim substantiæ omnes rationes superiores hominis, & bruti à primo conceptu substantiæ vsque ad individuationem debito ordine distribuuntur; vnde constat prædicamenta in recto dicere conceptum realem entis,

& in obliquo connotare actum intellectus, quæ nonnulla prædicamenta inter se dividuntur, vt actio, passio, vbi, & situs, vel quo prædicata communia, & magis particularia collocantur, nam præscindere substantiam à suis inferioribus, & constituere corpus ex substantia, & corporitate, fit per actus intellectus confusiores, & distinctiores. Ita Hurtado.

Tertia definitio est P. Rubij in proemio ad categorias Aristot. quam sic efformat: prædicamentum est dispositio prædicatorum essentialium superiorum, atque inferiorum sub vno quodam supremo genere, quo nihil est superius, vsque ad individuum, quo nihil est inferius. Vnde liber categoriarum, aut prædicamentorum scribitur opus hoc, id est liber ordinationum, quibus prædicata disponuntur secundum diversos gradus essendi à supremo genere, quod quasi caput totius ordinationis est vsque ad infimas species, & individua.

SVBSECTIO II.

Nostra prima conclusio ponitur.

Prima conclusio, nulla ex his supradictis definitionibus recte traditur, sed aliquo vicio laborant, & incipiendo à definitione Fonsæcæ, sic eam labefacto.

Primo, quia ex quacumque falsa particula in definitione posita tota falsificatur definitio; v.g. si in definitione hominis, quæ est animal rationale adderem solam hanc particulam, adæquate spirituale, quia illa est falsa, tota falsificaretur definitio, veritas enim consistit in indivisibili; vnde definitio aut tota debet esse vera secundum omnes partes aut falsa: sed in definitione Fonsæcæ illa particula, naturalis dispositio, est falsa: ergo tota definitio falsitate inficitur; minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia ipse Fonsæca explicans quid sit naturalis dispositio ait esse naturalem, quia non est arbitratia, ex eo quod non dependeat ab intellectu: atqui nulla datur dispositio naturalis prioris, & posterioris à parte rei generis alicuius, & eorum quæ sub ipso sunt, quia vt vidimus tractatu de universalibus in communi, & in particulari, non datur genus aliquod à parte rei, neque realiter cætera prædicata sunt sub genere, genus enim, & subiectio ad genus sunt entia rationis dependentia ab intellectu: ergo dispositio quæ innititur, & dependet à summo genere, & subiectione prædicatorum respectu summi generis non erit naturalis sed fictitia, quia eo modo est effectus, vel quasi effectus, quo est causa, vel quasi causa per se illius, v.g. relatio quam dicitur chymera est ens rationis, sicut subiectionis inferioris respectu universalis, prædicabilitas, & superioritas universalis respectu inferiorum sunt sine dubio entia fictitia, & rationis, quia chimera, & universale formalissime à quo dependent sunt entia rationis, sed summum genus, & subiectio, aut subordinatio ad illud sunt entia rationis: ergo ordo & dispositio quæ per se dependet ab illis, erit ens rationis, vnde non erit naturalis, sed voluntaria, & dependens à nostro intellectu.

Secundo, quia fundamentum Fonsæcæ ad probationem talem dispositionem esse naturalem, & non inventam, aut excogitatum ab intellectu est falsum: ergo falsa est definitio quæ tali fundamento innititur: antecedens sic patet, nam fundamen-

tum Fonseca his verbis traditur ab ipso; nec dispositio eorum quæ in prædicamentis ponuntur est excogitata sed in rebus inventa, nam distinctio superiorum, & inferiorum inter se non est distinctio rationis, sed ex natura rei: atqui hoc totum falsitatis vitio laborat: ergo; ut probetur hæc minor supponamus primo per impossibile prædicata distinguere ex natura rei, nihilominus à parte rei non datur superioritas, & inferioritas inter illa, sicut non reperitur inter ipsa prioritas, & posterioritas, quia licet talia prædicata distincta sint ex natura rei, nihilominus identificantur inter se realiter, sed idem realiter respectu sui ipsius, nec est prius, aut posterius, nec superius, & inferius realiter, quia alias idem respectu sui ipsius opponeretur quod est summum absurdum, etiam si datur distinctio ex natura rei: ergo; quod autem opponeretur sic probatur, quia superioritas, & inferioritas, prioritas, & posterioritas sunt relationes oppositæ, & oppositiones relative, ubi enim est oppositio datur oppositum, sicut ubi datur albedo datur album, sed inter illa prædicata per se datur superioritas, & inferioritas, quæ sunt oppositiones: ergo talia prædicata sunt opposita, sed stante identitate reali inter aliqua propter solam distinctionem ex natura rei, nullo modo potest dari oppositio inter illa prioritatis, & posterioritatis, superioritatis, & inferioritatis: ergo non potest dari dispositio superioritatis, & inferioritatis propter solam distinctionem ex natura rei; minor hæc sic probatur; divina essentia in sententia Scotistarum distinguitur ex natura rei ab attributis, & nihilominus essentia divina non est prior realiter attributis, nec habet superioritatem à parte rei respectu illorum, ex eo quod identificatur realiter cum attributis, sed substantia, corpus, vivens, & cætera prædicata essentialia identificantur realiter, licet distinguantur ex natura rei: ergo non sunt opposita relative, ac proinde non superiora, & inferiora, genera, & species, priora, & posteriora: ergo dispositio illa superioris, & inferioris inter prædicata non est naturalis, & realis, sed fictitia, & voluntaria, non in rebus inventa, sed ab intellectu excogitata sumpto aliquo fundamento à rebus ipsis.

- 16 Ultimo, quia nulla datur distinctio ex natura rei inter illa prædicata ut patet ex dictis tractatu de differentia, quest. Virum genus, & differentia distinguantur ex natura rei? Quod etiam probavimus disp. de universalibus in communi, & in metaphysica disp. 2. quest. Virum prædicatur ens ex natura rei à differentiis? sed tota ratio quare Fonseca asserit talem dispositionem esse realem, & naturalem, est quia concedit illam distinctionem; ergo si nullo modo datur illa, nullo modo dabitur dispositio inter prædicata essentialia, quæ sit naturalis, & realis, & non fictitia.

SVBSECTIO III.

Aliæ definitiones impugnantur.

- 17 Contra secundam definitionem insurgo primo, quia improptiis vocabulis composita est talis definitio; nam dicitur in illa, sunt divisiones entis in quibus prædicata collocantur, sed improprie loquitur qui dicit in divisionibus collocatur hoc, & illud, divisio enim partitio, separatio, & destructio divisi est, sed in separatione parti-

tione, & destructione nihil collocatur aut ponitur, ponitur autem proprie in sede, loco, ordine, aut dispositione: ergo ut proprie loqueretur debet dicere prædicamentum est ordo, seu sedes, aut dispositio in qua ordinantur, & ponuntur prædicata essentialia.

Confirmatur, quia sicut improprie definiretur mundus dicendo, sunt divisiones entis in quibus omnia particularia entia collocantur, nam licet verum sit quod omnia quæ in mundo collocantur sint partes entis, nihilominus divisio entis est antecedens ad constitutionem particularium entium, & sic non potest definiri res per illam, v.g. leo, & homo constituantur dum dividitur animal per rationale, & irrationale, & nihilominus male definirer hominem dicendo, homo est divisio animalis addendo rationale; equus est divisio animalis, addendo inhibibile: ergo similiter licet verum sit quod prædicamenta fiant per divisionem entis in decem genera, &c. nihilominus, quia illa formalis divisio non est constitutio neque essentia illorum, quæ in tali serie, & ordine prædicamentorum sunt, sed antecederet se habet ad prædicamenta incongrue per tales divisiones definiuntur illa.

Ultimo, quia in prædicamentis ratio principalis non est actus intellectus, neque ens rationis, sed prædicata realia essentialia, ens autem rationis indirecte pertinet ad prædicamentum, ut ipse Auctor in explicatione huius definitionis dicit: atqui in illa definitione prius, & principalis ponitur (& ideo in recto) particula illa, divisiones, quæ significat aut actum intellectus dividendum, aut ens rationis ex tali actu resultans: ergo non est recta, siquidem non explicat res ut sunt.

Dices illud vocabulum, divisiones, significare distinctiones.

Contra, quia aut illa distinctio est realis, aut rationis; si realis est falsa, quia prædicamenta non constituuntur per distinctionem realem; multa enim prædicamenta non distinguuntur realiter ut sunt actio, & passio, & relatio, & absolutum in sententia ipsius P. Hurt. ergo deinde quia distinctio non est constitutio rei, sed sequitur ad constitutionem, & ad esse illius: ergo illa definitio quæ explicat essentiam prædicamentorum per id quod est secundarium ad illa non est essentialis. Præterea quia in vnoquoque prædicamento nulla datur distinctio realis inter prædicata quibus constituitur: ergo falso dicitur quod prædicamentum sint distinctiones reales entis; si rationis eodem modo refutatur ut nunc refutavimus divisionem rationis.

Deinde, quia diminuta videtur illa definitio, siquidem hic auctor ait in quibus prædicata collocantur, sine eo quod explicet esse essentialia illa, quia in prædicamentis non omnia prædicata, sed solum essentialia, & primario non quæcumque essentialia, sed solum genera, & species quæ completa vocantur, ponuntur.

Ultimo definitionem P. Rubij sic impugno primo, quia prædicamenta per se pertinent ad metaphysicam primario: ergo primario dicuntur entia realia ut de se patet, & secundario dicuntur entia proteron, ponendo in obliquo prædicata essentialia (genitivus enim est casus obliquus, & ideo dicitur ordo prædicatorum essentialium) ac proinde indirecte, & primario ac directe ens rationis, ordinum nimirum, & ideo ponitur in toto nominandi videlicet

Quæst. I. Quid sit prædicamentum, &c. 503

videlicet casus; ergo non est recta definitio, quia in ea non explicatur essentia definiti ut convenit, v. g. hæc non esset bona definitio filij est pater generans Filium, quia Filius in recto deberet poni, & pater in obliquo, & ideo in recto definiretur sic est genitus à patre; ergo similiter in nostro casu non est recta præsens definitio.

24 Secundo peccat vicio longitudinis, & prolixitatis, nam ut ex summulis patet, definitio debet esse brevis, & clara; ergo non est recta.

25 Tercio, quia illa particula quæ ponitur in definitione sub vno quodam genere quo nihil est superius, veritate caret, nam falsissimum est dicere capita prædicamentorum ita esse suprema ut non detur aliud genus supra illa, hoc enim latissime demonstrabitur *quæst. sequenti*.

SUBSECTIO IV.

Nostri secunda conclusio ponitur.

26 Secunda conclusio, hæc est recta definitio prædicamentorum: Prædicamenta sunt prædicata essentialia disposita ordine superioris, & inferioris à supremo genere illius ordinis, usque ad infimam speciem. Hæc est sententia expressa Divi Thomæ *opusculo 48. cap. 1. in principio*, ubi sic ait, quia prædicamentum dicitur quædam prædicabilia seu prædicata ordinata in ordine prædicamentali.

27 Aliter potest hoc modo definiri: prædicamentum est constitutum ex prædicatis essentialibus dispositis inter se secundum ordinem superioris, & inferioris: sed quia hæc definitio æquivocatione laborat in particula illa, constitutum, ideo postponitur prima.

28 Et eam sic explicio, inter duas rationes, quarum una est ens rationis, & altera ens reale principalior locum debet obtinere ens reale quam ens rationis, & ideo in constitutione, seu definitione prædicamenti in recto ponuntur prædicata essentialia, quæ sunt ens reale; ordo autem quia est ens rationis in obliquo ponitur, quia talis obliquus indicat rem sic significatam per talem casum; minus principaliter pertinere ad rationem definiti, & ideo dicitur in nostra definitione disposita ordine.

29 Per illam particulam prædicata essentialia disposita, docetur prædicamentum ordinari ad cognoscendum naturas rerum, quæ non possunt cognosci nisi tali ordine disponantur constitutiva essentialia earum, scientia enim medijs præmissis, & propositionibus habetur de rebus, quæ propositiones debent fieri necessario ad concludendum in syllogismo ex prædicatis essentialibus, quibus constituuntur subiecta, quorum naturam percipere intendit scientia per syllogismos evidentes, & demonstrationes, in quibus prædicata recte disponuntur, & enuntiantur de subiectis, quibus apte scientia comparatur, talique scientia verum à falso distinguimus circa essentias rerum, captiones fallaces evitamus, laqueosque deceptionum vel scindimus vel dissolvimus, sunt enim prædicamenta quasi rerum omnium, quæ in orbe terrarum reperiuntur quasi exercitus, & phalanges validissime, quibus recto ordine dispositis contra errorum, & ignorantie tenebrarum manus, & catervas bellum fortiter inimus, & veluti apperto Marte dimicantes hu-

iusmodi adversarios in fugam convertimus, ac terga vertere cogimus manifeste, & tandem desideratam, gloriosamque victoriam reportantes io triumpho, io triumpho, ingenti gaudio perfusi canimus iucundissime.

Dicitur à ordine, quia sine illo potius aggregatio quam prædicamentum esset, sine quo propositus finis nullo modo acquireretur, quæ ordo ut diximus non est realis: sed rationis cum fundamento tamen à parte rei eo modo quo supra diximus de universalibus in tractatu illorum.

Dicitur à supremo genere, non quia aliud superius genus non reperiatur: sed quia licet detur aliud, nihilominus est primum in eo ordine, vel substantiæ vel quantitatis vel qualitatis, &c. sub qua omnes, v. g. substantiæ completæ quatenus distinguuntur à quantitate, qualitate, & cæteris comprehenduntur, ideoque data opera non à primo, seu à summo genere, (quia hæc verba significant non dari aliud prius genus supra illa) sed à supremo diximus, supremum enim quocumque maxime universaliter dicitur.

Ponitur usque ad ultimam seu infimam speciem, quia series prædicamenti in atoma specie consumatur, individuum autem non ingreditur prædicamentum. Quod sic probatur. Nam prædicamentum sunt prædicata essentialia, quæ de individuo prædicantur: sed prædicata essentialia, quæ de illo dici possunt finiuntur, & sistant in atoma specie: sed individuum est extra speciem, & est ipsum subiectum de quo illa prædicantur; ergo individuum non continetur in prædicamento, præcipue, quia quidquid addit individuum ultra infimam speciem est extra essentiam individui, ita ut quidquid progreditur ultra speciem infimam non sit essentialiter singulari: ergo optime dicitur in definitione à supremo genere usque ad infimam speciem.

Ultima conclusio: prædicamenta sunt tantum decem, quam conclusionem amplector potius propter auctoritatem tot gravium Doctorum, quam propter rationum pondera, & evidentiam, quia ut ait P. Suarez, hæc veritas non est per se nota, quæ enim evidens, aut immediata connectio est inter illa extrema: solum enim congruentia possunt asserri ad huiusmodi conclusionem confirmandam, quas statim proferemus: sed ubi deficit claritas demonstrationum cogit pondus auctoritatum gravissimorum Doctorum, quorum adeo infixa est medullis hæc sententia, ut de illa hæc verba protulerit P. Suarez *tom. 2. metaph. disp. 39. sect. 2. num. 12*. Iam vero tam est receptum philosophicum dogma de numero decem prædicamentorum, & consequenter de numero novem generum accidentium præter substantiam, ut quasi temerarium in philosophia existimetur hoc in dubium revocare, illud ergo ut certum supponamus ex communi sensu, & ore omnium, & rationem sufficientem illius investigemus, si ille.

Hanc appertis verbis tueretur Aristoteles in *Logica, lib. de categoriis cap. 4.* ubi sic annumerat decem prædicamenta; eorum, quæ nulla complexione dicuntur singula aut substantiam significant, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati, quod præterea satis clare *lib. 5. metaph. cap. 7.* expressit ibi, ut autem substantia quidem, inquit, ut in summa dicamus

tamus vel ut homo equus, quantitas autem ut bicubitus, tricubitus: Qualitas ut album ad aliquid ut duplum dimidium maius; ubi vero in foro, &c. Quando autem ut heri: situm vero esse ut sedet: habere autem ut calcatum esse: agere vero ut secare, vrere, pati ut secari, vrere, sic philosophus, & postea data opera vnumquodque predicamentum sortitur, & omnia latissime per quinque sequentia capita explicat.

35 Divus Augustinus Doctor Cherubicus, non solum auctoritate sed etiam ratione favet huic conclusioni *lib. de decem categoriis, cap. 8.* his verbis, nam, & qui dicit aliquid duo dicit, quod est, & id quod est non potest ab altero intelligi, nisi dicatur, eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut usiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando, aut habere. Hæc sunt categoriæ decem, quarum prima usia est, scilicet quæ novem cæteras subinet. Reliquæ vero novem *opus 68. nota*, id est accidentia sunt. Ex quibus novem sunt alia in ipsa usia, alia extra usiam, alia intra, & extra. Quantitas, qualitas, & iacere in ipsa usia sunt, mox enim ut usiam, vel hominem, vel equum dixerimus advertamus necesse est bipedalem, quadrupedalem, aut album, aut nigrum, aut stantem, aut iacentem.

Hæc in ipsa usia sunt, & sine hac ipsa esse non possunt; alia sunt extra usiam ubi, quando, habere, & locus ad usiam non pertinet, & tempus, & vestiri, & armari, sed ab usia separata sunt. Alia sunt communia id est, & intra, & extra usiam; ad aliquid, & facere, & pati: ad aliquid ut magis, & minus; utraque enim dicinon possunt nisi coniuncto altero, quo magis sit vel minus. Propterea ergo vnum in se habet aliud extra se; Item facere extra est, & intra ut cedere quisque non potest dici nisi alterum cædat, vel legere, nisi ipse legens aliud sit aliud quod legitur: ita ergo, & usia hæc est, & extra usiam. Pati similiter cædi enim, vel vri nullus potest nisi ab altero patiatur. Propterea hæc quoque, & in usia est, & extra usiam, sic Divus Augustinus, quem toto pectore Angelicus Doctor veluti discipulus magistrum sequitur *opus 49. de decem categoriis, seu de predicamentis, & 3. lib. phys. lect. 9. & 5. metaph. lect. 5.* rationem Divi Thomæ ex his omnibus locis collectam sic adducit P. Fonseca, *lib. 5. metaph. cap. 7. quæst. 2. sect. 3.* quam omnium optimam vocat ipse Fonseca.

36 Cum primæ substantiæ sint prima subiecta, in quibus proinde cernuntur, & de quibus prædicantur omnia attributa, quæ per se in prædicamento ponuntur, ex vario modo essendi huiusmodi attributorum in primis substantiis, & de eisdem prædicandi colligendus est prædicamentorum numerus: sunt autem decem modi, quibus aliquid in eis esse potest, de eisdemque prædicari, totidem igitur sunt prædicamenta, non plura, aut pauciora; assumptio ex inductione, & ratiocinatione ostendi potest, inductione quidem ex varia quærendi ratione, quo pacto eorum quæ modo aliquo insunt in primis substantiis, & de illis prædicantur, alia pertinent ad quæstionem quid est: quæ necessario sunt substantiæ, alia ad quæstionem quantum est: quæ nisi quantitates esse non possunt ut esse bicubitus; alia ad quæstionem quale est proprie, ac præcise sumptam: quæ haud dubie qualitates sunt, ut esse album; alia ad

quæstionem ad quid refertur: quæ sunt relationes; alia ad quæstionem quid agit: quæ actiones sunt, ut verberare; alia ad quæstionem quid patitur: quæ passiones sunt, ut vri; alia ad quæstionem ubi, nempe varia loca, alia ad quæstionem quo pacto situm est, variæ nimirum positiones ut sedere; alia ad quæstionem habitus, vestitum, togatum esse; cum ergo nullus se offerat quærendi modus, qui sub ijs non contineatur, patet inductione decem esse modos essendi in primis substantiis de eisdemque prædicandi.

Ratiocinatione vero per divisionem hoc modo. Quia quidquid modo aliquo inest in prima quavis substantia, & de eadem prædicatur, vno e tribus modis illi convenit, aut enim pertinet ad eius essentiam, aut non pertinet quidem, sed solum illi inhæret, aut nec pertinet ad essentiam, nec inhæret, sed solum extrinsecus afficitur: si pertinet ad essentiam primæ substantiæ est substantia; si non pertinet sed tantum inhæret illi; aut cõvenit illi absolute, aut comparate: si absolute, aut sequitur materiam, aut formam; si materiam est quantitas; si formam est qualitas: si vero convenit comparate, aut comparate ad aliud ut pure terminum, & sic est ratio formaliter, aut comparate ad aliud ut ab eo patiatur, & sic est passio vel ad aliud ut ad locum continentem. Item si ad locum, vel tantum ut ibi existat, & est ubi, vel ut ibi taliter, & cum tali positione, & dispositione partium, & sic est situs. Quod si nec pertinet ad eius essentiam, nec illi inhæret, sed tantum afficitur, aut extrinsecus denominatur, aut denominatur ratione potentia activæ, aut non? si primum est actio, quo pacto calefactio, quæ ab igne profuit denominatur ignem agentem; si vero non ratione potentia denominatur, aut denominatur ut mensura, aut aliter, si ut mensura essendi est quando, quod si non denominatur ut mensura essendi erit habitus.

Hæc ratio quam adducit Fonseca paululum à me immutatur ut probabilior procedat, nam si ut profertur solum, & præcise ab eo auctore dicitur, aut pronuntietur multas patitur difficultates, quas in lucem edidit Hur. contra Rubium, quæ evitantur aliquomodo si disponatur hæc ratio ut à me traditur.

Præter has alia possunt rationes probabiles in hunc modum fabricari: prima, quia si ad ens completum ut aliqui volunt reducerentur prædicamenta ut ad vnum solum caput in tam universali, & tam confuso conceptu nimis confuse res omnes cognoscerentur. Quod etiam contineret si ad tria quasi capita, v. g. ad substantiam, accidens intrinsecum completum, & extrinsecum redigerentur tam diversa genera, neque ita explicite, distincte, & clare cognosci explicarique possent, ut petit perfecta, & vera scientia rerum, quam Aristoteles intendit his decem divisionibus tradere, ac docere; unde in hac numero ratione prædicamentorum spectavit Philosophus ut ad apte scientias addiscendas facilis aditus pateret, referreturque, quo facile, clare, ac distincte ingredi possemus ad rimandas, penetrandas, enumerandasque penitus rerum omnium naturas in talibus ordinibus à supremis generibus usque ad infimas species collocatas, simulque varios modos attingeremus afficiendi, & denominandi primam substantiam, quæ est primum subiectum, de quo omnia enuntiantur. In alijs vero divisionibus

bus non ita clare, expresse, & distincte proponuntur diversa genera, ac diversi modi reales efficiendi, & denominandi individuum, & singularem substantiam, quorum perfecta ac distincta cognitione rerum studio vacantes, sapientiæ apicem, & perfectionem consequantur.

Vnde cum potius claritati commodoque scientias adipscentium, quam rigori metaphysico consuluerit Aristoteles, non lydio lapide, sed pingui, ut dicitur, minerva debet hic prædicamentorum numerus examinari, quod oculis vsurpans Philosophus licet in medium protulerit, ut iam dixi, nunquam tamè data opera examinavit; amplectenda igitur est hæc divisio tanquam utilis, & accommodata; quia neque ens ita debet restringi, ut non capiat a vulgo ut ait P. Hurtado; neque ita divagari, ut non possit congruenti methodo circumscribi; vnde bene dividitur ens per varios conceptus intrinsecos, & extrinsecos. Denarius autem universalitatem quandam significat qui recte applicatur enti rebus universis inibibito. Architas Tarentinus insignis Pythagoricus in hanc imaginationem primus incidisse dicitur, quam Aristoteles, & ceteri Philosophi sequuti accuratius differentes de rebus ipsis, quam de prædicamentorum divisione. Fuere autem Pythagorici admodum numerorum observatores; Denarium autem rebus universalissimis ascriberant.

41 Secunda congruentia sit, quia omne quod est, vel est ens per se, & nulli alteri inherens, & sic est substantia, vel est alteri inherens, & sic est accidens, & hoc vel inheret ratione materiæ vel ratione formæ, vel ratione totius compositi in materia vel forma; si inheret ratione materiæ hoc potest esse tripliciter, quia vel inheret materiæ solum ab intrinseco, vel solum ab extrinseco, vel partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco; si solum ab intrinseco est quantitas, quia quantitas inest soli materiæ, & solum ab intrinseco, independentem ab omni alio; si autem inest solum ab extrinseco sic est ubi, quod resultat intrinsece in locato, ratione loci extrinseci, & convenit illi ratione quantitatis quam habet, si denique inest partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco ratione etiam materiæ, omne enim quod patitur, patitur ratione materiæ quam habet, & quia inest pallo ratione materiæ quæ est intrinseca, & ab agente quod est extrinsecum, ideo inest partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, quare ratione materiæ habemus tria prædicamenta, quantitatem, ubi, & passionem. Si secundo inheret ratione formæ, hoc potest adhuc fieri tripliciter, vel enim inest omnino ab intrinseco, & est qualitas, quia qualitas sequitur formam solum, quæ est omnino intrinseca, neque quatenus talis pendet ab extrinseco, si est omnino ab extrinseco est quando, cum sit quasi causatum à tempore, quod est extrinsecum, & illud afficit rem temporalem ratione formæ illius, quæ durat, si est partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco est actio quæ convenit rei ratione formæ, cum vnumquodque agat quatenus est actu quod convenit rei ratione formæ, & inest partim ab intrinseco, quia principium illius est in ipso agente, & partim ab extrinseco, quia terminatur ad aliquod extrinsecum ad effectum nimirum, quare ratione formæ habemus alia tria prædicamenta, qualitatem, quando, & actionem.

42 Si tertio accidens inheret materiæ ratione
R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

totius compositi, eodem modo potest etiam esse tripliciter, id est vel omnino ab intrinseco, vel omnino ab extrinseco, vel partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco; si primum, est relatio, quia hæc non requirit extrinsecum efficiens, quia nascitur talis relatio ab ipso fundamento; si secundum est habitus, quia est denominatum extrinsece. Si est partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco est situs, seu positio quæ causatur ex ordinatione partium in toto, & in comparatione ad locum, partes enim sunt intrinsecæ ipsi toti, & locus est quoddam extrinsecum, atque ita causatur partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, quare ratione totius habemus tria alia prædicamenta, id est relationem, habitum, & situm, & sic sunt decem vnum substantiale, & novem accidentalia: sed hæc ratio, quia congruentia solum est, patitur similiter aliquas difficultates, sed quid mirum, quia omnis congruentia hanc conditionem induit, quia in hoc distinguitur à demonstratione, quod sufficit ut probabiliter numerus prædicamentorum persuadeatur, siquidem non tam evidenti ratione, quam probabilibus argumentis, ex auctoritate petitis innuitur.

Ut autem omnia prædicamenta memoria retineantur, sequentia carmina à Doctoribus solent tradi, in quibus singulis dictionibus singula prædicamenta suo designantur ordine.

Arbor sex natos fervore refrigerat vltos.

Ruri cras stabo, nec tunicatus ero.

Arbor indicat substantiam; sex indicat quantitatem, natos relationem; Fervore qualitatem; refrigerat actionem; vltos demonstrat passionem; ruri ubi; cras quando; stabo situm; tunicatus habere.



QVÆSTIO II.

*Verum suprema genera prædicamentorum
ita sint primo diversa, ut in nullo
genere superior conveniant.*

SECTIO I.

Sententia Adversariorum ponitur.

PRIMA sententia affirmat, ita P. Suarez in metaphysica, tom. 2. disp. 39. sect. 2. num. 23. ubi sic allerit, nihilominus dicendum est hæc omnia membra sub ente, & accidente distingui ut genera primo diversa, id est, sub nullo superiori genere contenta, neque omnia neque illorum aliqua.

Probatur primo auctoritate Aristotelis 1. Posteriorum, cap. 11. & ideo quasi per antonomasiam vocare solet prædicamenta genera; vnde ca. 9. prædicamentorum, ita concludit; de generibus ergo propositis, ea quæ sunt dicta sufficiant: & Porphyrius cap. de specie, ait in singulis prædicamentis esse species, quæ collocantur sub genere, & sub se non continent nisi individua, & genera, & Damascenus clarissime patrocinatur huic sententiæ in dialect. cap. 39.

Secundo ratione sic probatur, quia in sententia contraria, nulla potest reddi ratio sufficiens illius divisionis

S s s divisionis